

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL ALLEN,

HIBERNUS.

*..... Quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum magna pars fui.*

VIRGIL.

AD DIEM XXIV. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

1809.

350337

DISPUTATIO MEDICA

INLAUGURATA
A
AMICIS SUIS

JACOBO STUART ARMIGERO
DE GRACEHILL

MAGISTRATUS ET PRO-COMMITATU DE ANTRIM
EX AUCTORITATE REVERENDI MAGISTRI

D. GEORGI BIRD S. T. M.


ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAECEPTI
THOMAE GORDON ARMIGERO

AMISSIMI SENATUS DE GRACEHILL
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE EDINBURGENSIS
RECITAVIT

Pro Gradu Doctoris
PATRI SUO OPTIMO

STIMULOSQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
SUI SAMUELEM ALLEN ARMIGERUM

PRO-COMMITATU DE ANTRIM
MAGISTRATUS ET PRAECEPTI DELEGATO
SUI SAMUELEM ALLEN ARMIGERUM
DE ANTRIM



..... HOC OPUSCULUM
SUI SAMUELEM ALLEN ARMIGERUM
MAGISTRATUS ET PRAECEPTI DELEGATO
SUI SAMUELEM ALLEN ARMIGERUM
DE ANTRIM

AN DILEXIT JUNIUS, BONA FIDELIUS SOLITIS
CONSERVAT

ACTOR

EDINBURGI

EXCUBEDAT ROBERTUS ALLAN

1803

AMICIS SUIS

JACOBO STUART ARMIGERO
DE GRACEHILL,

MAGISTRATUI PRO COMITATU DE ANTRIM,
&c. &c. &c.

ET

THOMÆ GORDON ARMIGERO
DE CLOVERHILL.

NECNON

PATRI SUO OPTIMO

SAMUEL ALLEN ARMIGERO
DE LISCONNAN;

MAGISTRATUI, ET PRÆFECTO DELEGATO
PRO COMITATU DE ANTRIM ;

HOC OPUSCULUM,
AMICITIÆ ET AMORIS

PIGNUS,
CONSECRAT
AUCTOR.

Non alius existit morbus, qui strumæ latentis semina sæpius suscitare dicitur; hinc glandulæ tumidæ, viscerum labes, et phthisis pulmonalis, dirissima strumæ species, ex hoc fonte profluunt. Mos autem nimis invaluit multa mala ad morbillos prægressos referendi, quæ neutiquam ex his pendent, vel ullo modo conjuncta fuere.

Oculi sæpius forsitan, quam ulla alia corporis pars, diros hujus morbi effectus experiuntur. Hinc oculorum debilitas, inflammationes chronicæ, et etiam cæcitas ipsa.

Morbillis præterea molesta intestinorum levitas haud raro supervenit, quæ interdum omnia remedia vincit, in mortem tandem desitura.

DIAGNOSIS.

VARIOLA, scarlatina, et catarrhus, morbi sunt inter quos et morbillos maxima similitudo intercedit.

Medici Arabi, qui primum morbillorum historiam nobis tradiderunt, eos cum variola tanta cognatione conjunctos fuisse persuasum habuerunt, ut unum ab altero discernere vix aggressi sunt, et eandem fere medendi rationem utrisque adhibuerunt. Nullus autem est hodie quin facile agnoscat hos morbos a se mutuo plurimum distare.

Quis morbus teneat, ingruente febre morbillosa ægre dijudicamus. E natura autem morbi tunc temporis grassantis, præsertim si æger consuetudine eorum morbillis laborantium usus est, aliquid sanius conjicere sæpe valemus. Febris autem morbillis propria ardentior fere est quam

in variolis, et brevī oculorum rubore, lachrymis uberius effusis, sternutatione, tussi sicca, rauca, et sæpe in somnum propensione insignitur. Citius quoque prodeunt eruptiones in variola, pustulæ magis distinctæ et eminentes sunt, et omnium fere signorum levamen plerumque secum afferunt, febre protinus conquiescente. In morbillis, quarto die post eruptionem papulæ in squamulas abeunt. In variolis vero octo dierum spatio adolescent, et ad suppurationem properant, foveolis in cute sæpe relictis. In variolis frigus libere admissum magnopere juvat; idem in morbillis plurimum nociturum.

Accurata sæpe indagine opus est ut morbilli a scarlatinâ secernantur; in hoc autem morbo maculæ multo ampliores, inæquales et confluentes totam fere cutem sine ullâ scabritie accendunt; dum in morbillis papulæ exiguæ et discretæ, ut cunque confertæ, asperitatem quandam tactui præbent, vel etiam oculis elevatæ cernuntur;

accedunt præterea oculorum rubor, et lachrymatio, tussis admodum molesta, coryza, et signa quæ pulmones læsos ostendunt. Tumores hydropici, decedente scarlatina, haud raro superveniunt, vix unquam in morbillis conspiciendi.

Antequam eruptio appareat, morbilli nonnunquam catarrhum mentiuntur; catarrhus a frigore suscepto originem habet, in eo oculi minus laborant, et signa febrilia, si ulla, multa mitiora sunt, sine nausea, vel vomitu, vel somnolentia; erumpentibus denique papulis omne dubium tollitur.

CAUSÆ.

SUNT qui contendunt morbillos a medicis veteribus cognitos fuisse, quasi scilicet e venerandis

antiquorum monumentis detraheret, si ulli morbi eos latuissent. Utcunque, autem ingeniosi et solertes multi fuere in sententiis et verbis veterum detorquendis, nulla hactenus ex eorum libris deprompta fuere exempta, quæ ullo jure ad morbillos relegari queant; et RHAZES primum, circiter seculum nonum medicinam inter Arabos faciens, eos luculenter descripsit, et verisimile est eos ex Arabiâ in Europam advectos fuisse, in qua strages gravissimas ediderunt.

Causæ remotæ in eos quæ corpus ad morbum suscipiendum opportunius reddunt, et eos quæ corpori jam opportuno facto morbum concitant, vulgo dividuntur; talis autem causarum distinctio neutiquam in omni exemplo observanda est; sunt enim causæ excitantes ita validæ ut ad morbum inducendum valeant, etsi corpus sanissimum fuerit; dum in multis aliis causa prædisponens gravior factus revera excitans fiat.

De corporis habitu, qui morbillos faciliùs suscipiat, parum constat, nisi quod juniores quam adulti in hunc morbum facilius incidant, at adulti, pleno corporis habitu præditi, et strumosi hoc impliciti ægrius evadunt.

Feminæ, dum uterum gerunt, multo minus abortu periclitantur a morbillis quam a variolis; de hoc ita monet HEBERDEN exercitatissimus:

“ Tales vero curavi consuetis morbillorum malis non mediocriter laborantes, e quibus nemo una partum elisit, aut propter graviditatem minus prospere morbo assurgere visa est.”

Sunt quædam anni tempora, vel cœli status, qui ad morbillos gignendos vel propagandos potissimum conducunt. Hinc, ineunte Januario, epidemice grassari vulgo incipiunt et paulatim usque ad vernum æquinoctium increbrescunt, ex quo tempore sensim semet subducunt, donec, appetente solstitio æstivo, omnino evanescant.

Nil autem vetat quo minus ullo anni tempore invalescant, licet aeris conditio vere eos latius plerùmque disseminet.

Causam hujus morbi excitantem esse contagium sui generis nemo est hodie qui negat; hujus autem veneni pestiferi natura et modus operandi densa caligine mersa latent. Homines hoc contagio afflati non illico ægrotare incipiunt, morbi enim semina ad diem sextam vel octavam plerùmque delitescunt. Nonnunquam, teste HEBERDEN, non nisi decimo vel decimo quarto die elapso post contagium susceptum, prodierunt. Exempla sunt, sed rarissima, in quibus ægri bis hoc morbo laborasse videntur, nec aliquid e lege generali detrahunt, quæ ponit morbillos scilicet semel tantum in vitæ decursu adoriri. Dr HOME primus, malis quæ e morbillis solito modo acceptis profluunt perspectis, eos maxime pulmonibus incumbere suspicatus est, quia contagium forsitan per eos in corpus receptum fuisset; et morbum

igitur multo mitiorem insitione parari ei persuasum erat ; hoc itaque consilio eos inserendo concitare aggressus est, nec facti pœnituit ; in decem enim vel duodecim imægris, quibus morbillos insitivos communicavit, omnia feliciter procedebant, et febris minus vehemens, et tussis lenis vel nulla ; nec unquam ulla mala morbillos insertos consequerentur. Hunc autem modum pessimos effectus e morbillis sæpe provenientes arcendi medici recentiores haud prosecuti sunt, quod satis mirum, cum tantos fructus pollicetur.



PROGNOSIS.

JUDICIUM de eventu hujus morbi maximè e statu febris, regulari ejus progressu, et signis, quæ pulmones affectos testantur, pendebit.

Cùm febris vehemens est, cutis valdè incalescit, cùm pulsu duro et forti, si tussis admodum molesta et spirandi difficultas mature accedant, facies sit tumida, et æger maximè inquietus cum vehemènti anxietate in coma vel delirium propendeat, si quoque, eruptione facta, nulla morbi symptomata mitescant, sed potiùs in pejus ruant, et ad tempus, quo cuticula in squamulas separatur, febris, spiritus difficilis et tussis ingravescant, ægri nono sæpè die pereunt.

Etsi diarrhœa lenis sæpè ægrum e periculo subducat, si diutiùs autem perstiterit, vires plurimùm imminuit, et tandem morti viam sternit.

Metuenda quòquè est tussis rauca post morbum superstes, præsertim si ulla corporis labes subesset, quippe in phthisin haud rarò desinet. Quo magis morbilli è consueto decursu recesserint, eò in majore periculo versatur æger; hinc exitus minùs felix timendus est, cum eruptio ma-

turius aut tardiùs justo semet in conspectum dederit.

In morbillis pariter ac in variolis quo magis confertæ sunt pustulæ et minùs distinctæ, eò magis imminet periculum.

Pustulæ præterea ad nigrum colorem vergentes, vel subito recedentes, malè admodum ominantur.

Adulti, et hi, quorum adversa valetudo, vel pravus corporis habitus, hoc morbo gravius ferè conflictantur.

Contra, in pueris morbo regulari correptis, si febris lenis, post eruptionem mitescens, si tussis parum molesta cum sputo facili, respiratio satis commoda, cutis humida, et pustulæ justo tempore exsiccantur, omnia feliciter eventura esse prædicere liceat.

MEDENDI RATIO.

IN morbillis benignis medendi ratio absolvitur iis remediis quæ inflammationi obviam eunt, et iis quæ signa urgentiora mitigant.

Omnia hujus morbi signa regimen antiphlogisticum strenue adhibitum vehementer postulant, præter frigus, quod pectoris male se habentis indicia evitandum monent; etsi nonnulli frigus in morbillis pari ratione ac in variolis prodesse affirmârunt; frigus autem in illis libere admotum haud parùm nocuisse optimè comprobavit experientia, præsertim si jam adfuerint signa catarrhalia.

Cavendum autem est ne dum unum vitium vitamus, in aliud æque nociturum impingamus, nimius itaque calor cubiculi vel stragulorum sedulo evitandus est, ne febrem et pulmonum inflammationem adaugeat.

Quod ad diætam attinet, ægri cibo tenuissîmo uti debent, à carnibus omninò abstinendum; de-

cocta avenacea vel hordeacea, et fruges maturæ bene conveniunt; potus quoque tenues, blandi et diluentes concedendi sunt; acida, utpote tussim adaugentia, nisi dulcibus et mucilaginosiis temperata, morbillosis minùs accommodata sunt. Non necessarium est ut æger jam inde à morbi initio lecto affixus maneat, nisi ipse languore oppresus id desiderat; cum tamen morbus ulterius progressus fuerit, tutius in lecto sese contineat, dum lux nimis vivida, quam male ferunt oculi, arceatur.

In hoc regimine antiphlogistico administrando non solum natura morbi sed vires ægri respiciendæ sunt, ne ex eo ultra modum temere præscripto vires nimis profusæ non ad morbum debellandum supersint. In multis morbillorum exemplis morbus adeò mitis est, ut naturæ beneficio sine artis auxilio feliciter cedat; et diæteticis legibus stricte servatis, cursum benigne conficit; in plurimis autem casibus opus est aliis remediis ut ad

finem felicem perducatur. Hæc inter sanguinis detractio primas partes merito tenet, quippè non aliud existit remedium ad nimiam vasorum actionem immunendam accomodatius, et pauci alii sunt morbi qui eam liberius detrahendum postulant, meliusve ferunt; indole igitur morbi inflammatoriâ bene perpensâ, si febris vehemens accensa, cum pulsu pleno, valido et duro, gravis pectoris oppressio, et tussis acrior ægrum exagitant, nullo non tempore morbi sanguinem mittere proderit; quod in adultis magis adhuc necessarium est, præsertim si ulla plenitudinis vasorum indicia simul adfuerint. Si autem nulla morbi gravioris indicia id postulent, melius erit, ut SYDENHAM sagacissimus admonuit, à nimis maturâ sanguinis missione abstinere, qui in proVectiore morbi gradu, cum signa inflammationis gravius incumbere solent, commodius detrahi potest.

Notatu dignum est sanguinis detractionem quibusdam signis, tussi nempe et diarrhœa, quæ

post morbillos fugatos supersint, sæpè succurrere, etsi omnia inflammationis indicia disparuerint. Cathartica levia, quæ alvum molliter ducunt in omni morbillorum exemplo apprime conducunt; hoc consilio sales mediæ, vel enemata emollientia præ cæteris usui accommodata sunt, quæ scilicet intestina e materiâ acri et stimulante expurgant, corpus igitur e stimulo valdè nocivo liberant, refrigerant, et febris vim temperant.

Ubi e tussi gravi et molestâ, spiritu difficili, et febre ardente, inflammationem subesse suspicamur, emplastra exulceratoria vel pectori vel inter scapulas admota auxilium haud leve præbeant, vi enim stimulatrice humores extrorsum evocant, spasmum solvunt, congestionem partis internæ levant, et forsân modis minùs cognitis inflammationi egregie prospiciunt.

In tussi acri sublevanda, demulcentia, sive oleosa, sive mucilaginosâ commode adhibentur, hæc

fauces oblinendo irritationem et tussim multum deliniunt. Cavendum autem est ne hæc uberiùs justo data ventriculo onus nocivum imponant.

Vapores quoque aquæ calidæ in pulmones cum spiritu adducti tussi et spirandi difficultati haud leviter opitulantur.

Opium præ omnibus aliis ad tussim mitigandam valet; non autem tuto ad id decurrere liceat, donec signa inflammationis debitis evacuationibus imminuta fuere, quo tempore ad tussim consopiendam et ad somnum conciliandum opportunè in subsidium venit. Febris tamen vehemens, et spirandi difficultas, usum ejus plane vetant. Diarrhœa sponte oborta, quam levamen signorum comitatur, non illico reprimenda est, si tamen immodica vires prosternere pergit, opiatis, astringentibus et mucilaginosus cohibere debet.

Multis olim persuasum fuit, et adhuc apud plebiculam obtinet opinio morbillorum reliquias

hoc fluxu e corpore excerni, haud sinè periculo cohibendo ; omnes autem medici hodierni de malis diarrhœæ diù perstantis effectibus probè consentiunt.

Cum morbilli quandam pectoris oppressionem, dyspnœam, et tussim post se relinquunt, ad epispastica vel etiam sanguinis detractionem confugiendum est, diæta lactea imperanda, et frigus sedulo evitandum, ne ager in phthisin immedicabilem incideret.

Si oculi, post morbum depulsum, debiliores maneant, moderandus est lucis vividioris impulsus, et leni quadam solutione astringente subinde colluendi sunt.

Si morbilli malignam et putridam faciem à WATSONO depictum induunt ; aliis et planè diversis opus est remediis, tunc enim roborantibus, vino scilicet et cinchonâ maximè utendum est.

F I N I S.